

B. M. II, 178.

488, 11

(X 1904132)

II m
6386

L. 50, 11.

Q. D. B V.

DE

ORDINE,

qui dicitur,

ENSIFERORUM.

*publicè disputando vires
experietur,*

P R Æ S I D E

CONRADO SAMUELE
SCHURZFLEISCHIO,

Profess. Publ.

ANDREAS Hornung/

Revalia-Livonus.

In Auditorio Majori.

ad d. III. Jan. Anni clō lōc XXXV.

WITTENBERGÆ,

Ex officina SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.

5 1685





I.



Iu Germani in Livonia magnis viribus
militarunt, & rudes barbarosq; populos
semel iterumque armis oppugnârunt, &
Ordinem cum insigni *ensis* professi, Li-
voniam finitimasque regiones subege-
runt, ac religionis titulo id sibi licere ra-
ti, allatis & acceptis invicem cladibus, bellum sacrum gesse-
runt. *Arnoldus Lubecensis Chron. Slavor. lib. VII. cap. 9.*

II. Cum hæc fierent, Philippus & OTTO IV.
Cæsares in Occidente, dissidebant; in augusta ad Bospho-
rum urbe Balduinus Flander summoto, Duca Alexio,
regnabat, cujus epistola de obsessa & capta Cpli superest,
quam ad Ottonem perscripsit, dignam lectu, & non du-
biam conversi Græco-Romanorum Imperii testem. *Ar-
noldus lib. VI. cap. 19. 20. Godefridus Monachus in annal.
an. MCXCV III. & an. MCCIII.* Sub idem tempus Ro-
manæ sedi præfuit Innocentius III. rebus ex utilitate sua
ordinandis maximè sedulus, & religionis ac potentiaë in-
crementa pari ratione metiri solitus, temporumque ap-
prime gnarus, qui per execrationū formulas quasi per ful-
mina Reges Principesque terrebat, vel si occasio posceret,
vehementer ciebat, atque in aliam mentem impellebat.
Cujus epistolas emiserunt *Franciscus Bosquetus, & Ste-
phanus Baluzins*, quarum pleræque ad Livoniam perti-
nent, & Innocentii industriam ostendunt, atque huic sa-
nè instituto lucem adferunt, quas tamen scriptores ver-
naculi & vulgares, qui de Ordine hoc commentari sunt,
non lectitârunt.

A 2

III. His

III. His temporibus congruit Albertus, tertius in serie Antistitum Livonorum, qui Rigam, ad Dunam fl. situ ad aspectum pulchro structam, quanto potuit conatu munivit, ut sedes ibi esset & præsidium contra feroces & non Christianos populos, & belli robur foret seminariumque coloniarum. *Albertus Cranzius Vandalie lib. VII. cap. 21.* Sed origo Rigæ ab altiore initio repetenda, atque cum ætate Meinhardi, primi Rigensium Antistitis, conjungenda est, ita ut respondeat an. MCXXCVI. si temporum rationes ineantur. Quam sententiam Arnoldi testimonio firmamus, quippe qui ad eosdem calculos revocat, annumque sedis ibi constitutæ definit, quem modò tradidi, & approbavi. *l. VII. c. 9.* Hinc locus ille cultus, religionisque causa frequentatus, & post decessum Meinhardi ac Bertholdi Antistitum, moenibus circumdatus communitusque est, quod accidit, Alberto Antistite, qui effecit, ut formam dignitatemque urbis obtineret. Non explicatè tradit Joannes Magnus, quum per occasionem rerum Sueogothicarum transiit in regiones finitimas, & Rigam metropolin A. M. CLXXXVI. cœpisse affirmat, *hist. Gotb. lib. XVIII. cap. ult.* Fallit, si metropolin pro urbe sumit, neque accuratè loquitur, si ultimam sedis episcopi originem denotat, propterea quod metropolis usu juris pontifici sumpta ferius cœpit. Peritior harum rerum fuit David Chytræus, & explicatè scripsit, & in hoc argumento solentiam probavit. *Vandal. p. 17.* Cum quo jungatur Cæsar Baronius *in annal. eccl. t. XII. an. 1186.* Multæ profectò sedes fundatæ, multaque sacerdotia amplissima instituta sunt, priusquam ex occasione eorum urbes struebantur.

IV. Quo auctore equestris ille Ordo initium cepit, mea refert, ut perquiram, etsi non convenit inter scriptores, qui omnem eò contulerunt operam, ut expli-

ca

eam redderent hujus sodalitatis originem, quam tamen
multa & longa exercitatione consequi non potuerunt.
Mihi in eam curam incumbenti quærendus est conditor,
quem argumenta rerum ostendunt, & à quo rationes
temporum non abhorrent.

V. Illo, & adhuc lubrico, rei Christianæ statu Al-
bertus provinciam Episcopi Rigensis administrabat, &
manu armisque utendum censebat, cum religio in di-
scrimen veniret, & metuendus esset impetus non cultor-
um hostium, qui durum servitutis jugum graviter fere-
bant, neque id aliter depelli posse existimabant,
quàm si Riga potentia sedes excinderetur. Igi-
tur Albertus, futuri sollicitus, à Meinhardi, Livonorum
Apostoli mansuetudine discessit, & belli disciplinâ, armo-
rumque usu invasuros coercuit, & munitâ mœnibus
Rigâ, pariter sacra & fortunas omnes in tuto collocavit.
Commodùm tunc *Fratres* sacram militiam professi, ad
tuendam religionis causam exciti, insignia duorum rubri
coloris ensium, ab Innocentio III. susceperunt, & mutuo
se cohortati, pro religione propaganda strenuè certarunt,
ut spatium terrarum, quas occupaturi essent, sub auspi-
ciis Germanicis possiderent. *V. Caspar Schutz in Chroni-
cer. Pruss. p. 16. Balthasar Ruffovius in Chr. Livonico, ex
eoque Nicolaus Specht in oratione de Livonia, que anno
MDCXXX. evulgata est, Joannes Isacius Pontanus in
hist. rerum Danicarum lib. VI. p. 290. Cyriacus Spangen-
berg in eo corrigendus, quòd Bertholdum priorem Alberto
Antistitem appellavit Archiepiscopum, in speculo Nobili-
tatis lib. XI. cap. 10. Joannes Caspar Venator de Maria-
no Teutonico equestri Ordine lib. I. cap. 2. Franciscus Mo-
dius in libro singulari de Ordinum ecclesiasticorum origi-
ne fatetur, sibi non liquere, quo argumento aut autore*

*fratres militia sacra insignia sua gerant. Christophorus Hartknoch ex auctore Chronici Ordinis refert, hos Equites ab Alexandro III. Pont. Rom. institutos, & confirmatos, Albertoque Episcopo fuisse additos, in animadversionibus ad Petri Dusburgii Chronicon Prussiae part. III. cap. 28. Quod vero non est consentaneum, & prorsus atque omnino temporum argumentis repugnat. Nam diu ante fatis concesserat Alexander III. quàm sodalitas hæc instituta, & assensu Pontificis confirmata est, quod fasti Pontificum, & annales illorum temporum ecclesiastici juxta & profani evincunt. Anno MCXXCI. vivis exemptus est Alexander III. ut rectè in annalibus Cæsar Baronius suppavit. Anno autem MCCV. Ordo equestris firmâ societate coivit, & auctoritate Innocentii III. stabilitus est, ut in annalium ecclesiasticorum Baronii continuatione Henricus Spondanus commemorat ad h. an. Ubi idem nominat duas Innocentii III. epistolas, ab iis diversas, quibus causam ecclesie Livonicæ fidelibus in Saxonia & finitimis tuendam commendavit; quippe ex quibus non eliciamus, confirmationem hujus Ordinis ab Innocentio III. esse factam. Nihil de ea in his talibus epistolis reperimus, neque alteras epistolas, quæ ad Ordinem spectant, reddidit Spondanus, contentus indicasse *Bosquetum*, apud quem extant: nequè hæc mens Spondani fuit, ut auctoritate harum, quas laudat, epistolarum, probare institueret confirmationem Ordinis, quæ Innocentio III. accepta fertur. In tota enim hac causa nititur consensu scriptorum, qui de hoc Ordine prodiderunt. In quo probandi genere non satisfacit mihi Hartknochius, novitius & diligens rerum Prussicarum scriptor, in *Prussia veteri & nova part. III. cap. 2.* A consequenti tamen ratiocinari licet, non posse dubitari, quin prædictus Pontifex*

con-

confirmârit hunc Ordinem, quem tuendum suscepit, quemque patrocínio suo ornârit. *Vid. Innocentii III. epistola 141. & 142. lib. XIII. collat. ep. 191. lib. II. castigatioris & plenioris Stephani Baluzii editionis.* Idem Pontifex honorificè appellat, & literâ majusculâ M. designat *bonæ memoria Meinhardum Episcopum Livoniensem*, & comparatione temporum institutâ admonet, rem Christiani cœtus in deterius lapsam, ope & auxilio defensorum instaurari oportere, *ep. 191. c. 6.* Quamvis ibi haud nominârit fratres sacrae militiae, qui *Ensiferi* dicuntur, utpote qui post Meinhardi tempora, quæ Pontifex respicit, societate coiverunt. Verba autem in extremo Innocentianæ epistolæ posita: *omnes, qui ad defendendam Livoniensem ecclesiam & Christianos in illis partibus constitutos divino Zelo succensi duxerint transeundum, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & eis apostolici patrocinii beneficium impertimur*: maximè spectant ad sacri belli socios, Christianis laborantibus subsidio ituros, quos spe veniæ delictorum, & fiduciâ patrocinii excitabat Innocentius III. quæ occasio causaq; fuit instituendi Ordinis fratrum militiae Christi. Quos expressè nominavit *in ep. 141. & seq. l. c. & ep. 119. 121. 123. 128. lib. XVI.* Fuit tunc præsul Rigensium Albertus, quo ad clavum sacri muneris sedente, fratres militiae Christi in Ordinem coaluerunt. Igitur consentientibus rerum temporumque argumentis monstrari potest, *in epistola 141. quæ AL. Rigensi Episcopo inscripta est*, non alium denotari, quàm hunc, de quo sæpius diximus, Albertum.

VI. Illud fortè incertum obscurumque videri potest, & adhuc interpretatione indiget, utrum Alberto tertio Livonorum Episcopo annitente & invitante, an etiam adjuvante & auspicante, fundamentum hujus Ordinis

Ordinis jactum fuerit, quod sine odio & invidia edisseram, nec laude suâ fraudabo Albertum, neque tamen *Henrico Spondano* assentiar, qui ei titulum *Apostoli* addidit, quem potiori jure, & evidentiori ratione *Meinhardo* tribuendum duxi: quippe qui more *Apostolorum* non vi & armis, sed verbo & exemplis rudes incultosque populos ad doctrinam salutarem instituit: contra Albertus gladium distinxit, & bella gessit, ac signa intulit, & docendi partes cum militiae studiis vel conjunxit, vel commutavit. Nullae ceteroquin tabulae etiamnum extant, quibus coepti hujus Ordinis gloria Alberto vindicatur: quinimò suppetunt argumenta, quae ostendunt, inter Episcopum & Ordinem multas & magnas fuisse lites atque æmulationes. Proinde Innocentius III. omni consilio & industriâ elaboravit, & componendi disfidii causa auctoritatem suam interposuit, ac Episcopo, nisi acquiesceret, sacram censuram denunciavit. Etenim præsul Rigensis in parte emolumentorum & *redituum* Ordini faceſſebat negotium, injuriamque inferebat: quam facere eum vetuit Pontifex, & justitiæ ac æquitati consuluit, & fidem patrocinii Magistro fratribusque militiae datam præstitit, nihilque præter officium admisit, siquidem ad tuendam Magistri fratrumque causam pertineret. *V. epistola Innocentii paulò ante dictæ.* Tum verò *Arno'dus*, gnavus, & ætate proximus probatissimusque scriptor, literis mandavit initia & originem Ordinis, sed de auctore ejus Alberto Episcopo nihil consignavit, & paulò post similitatem altercationemque inter hunc, & fratres militiae exortam percensuit, ubi nihil annotavit *Bangertus*, etsi habere potuit, unde lucem adferret, nominatim ex Innocentii III. epistolis, quæ hoc negotium maximopere illustrent, *ep. 141. 142. lib. XIII.* Ità autem scriptum reliquit

quit *Abbas Lubecensis Arnoldus lib. VII. cap. 9. Multi etiam*
continentias voventes, & soli Deo militare cupientes,
formam quadam Templariorum omnibus renunciantes,
Christi militie se dediderunt, & professionis sue signum
in forma gladii, quo pro Deo certabant, in suis vestibus
preferabant. Nec ideo tamen Ordini Templariorum
subjecti erant, atque ea de causa suo & peculiari signo ab
illis discernebantur, ut anno tertio decimo Pontificatus
Innocentius III. ad Albertum in Livoniam perscripsit.
Post hæc idem Arnoldus refert sequentia. Orta tamen
fuit inter Dominum Episcopum (Albertum) & fratres su-
pra dictos, qui Dei milites dicuntur (quorum tunc Magi-
ster erat Volquinus) quedam intestina simultas & mira-
bilis quedam altercatio. Dicebant sanè fratres, ipso-
rum juris esse tertiam partem totius gentilitatis, quam
Dominus Episcopus vel verbo prædicationis, vel violentiâ
expeditionis obtinere potuisset. Quod cum Episcopus omni-
nò eis negaret, facta est inter eos gravis discordia, ita ut
multum contra ipsum in curia Romana laborarent, nec
minus Dominus Episcopus suam sententiam confirmaret.
Quare Innocentius III. Christianæ reipublicæ utile fu-
turum ratus, compositionem suasit, & capita conven-
tionis auctoritate suâ approbavit, eâ lege, ut Ordo terti-
am partem terrarum Lettiæ & Livoniæ concessu Ri-
gensis Episcopi teneret, & illarum ratione Magister Or-
dinis obedientiam sponderet, neutiquam verò onus servi-
tii præstandi imponeretur, nisi quatenus ad defensionem
ecclesiæ, & operam bello contra infideles navandam per-
tineret: reliquas terras, quas extra Lettiam & Livoniam
ditionis suæ facerent, Episcopi beneficio nò agnoscerent, &
suo jure (salvis Imperii auspiciis) possiderent, ep. 141. d. 1. Ex
quibus licet perspicere, qua ex ratione & causa is ipse Or-

do & summâ dignitate auctus, & in Principum Imperii Ecclesiasticorum numerum relatus fuerit: quod tamen serius, ac diu post tempora Volquini usuvenit, quum Valterus Plettenbergius, XLIII. Magister Ordinis in Livonia in senatum Principum ritu solenni adscriptus est, non abnuente Alberto Marchione, Ordinis Teutonici Magistro ultimo, à quo in clientelam Polonicam se daturus, libertatem pactus, *Cruciferorum* Imperio nuncium remisit. Quam principalem dignitatem, & sessionis suffragiiq; jus etiam testatur *R. I. 1530. §. 145. Conf. Cbytr. Saxon. l. 1. qui Vandalia* (rectius Vendia) *inscribitur p. 21. Job. Casp. Venator lib. 1. cap. 2. qui Plettenbergium XLI. Ordinis Magistrum vocat, initio rationum sumto ab Hermanno Salzio, quo gerente magistratum sedalitatis Prusicæ, Ensi-feri in Ordinem Teutonicorum militum, qui Cruciferi dicuntur, sunt asciti.*

VII. At enim verò istæ lites, quæ inter Rigæ Antistitem, & sacræ militiæ socios subinde excitatæ sunt, nihil impediunt, quominus Alberto totam hanc instituti per Livoniam Ordinis laudem relinquamus. Nam etsi non inermis, neque inexercitatus miles erat Albertus, tamen suis viribus confidere non poterat, bellumque indies acrius futurum providebat, & subeuntibus animum curis, validas cohortes & matura auxilia quærebat, pro no in hanc sententiam Pontifice, & liberaliter pollicente Dei opem, & omnis admissi veniam, si ad arma irent, quibus pietas prætendebatur, revera autem augendi sacri imperii cupiditas tegebatur. *Albertus Kojalovvix hist. Lith. lib. III. pag. 75.* Gratum hoc Antistiti Rigensium accidit, qui sciret alliciendi artes, & prosperâ rerum famâ, magnisque præmiis milites invitaret. Horum, flagrantibus animis opinio belli sacri, & gloriæ studium,
di-

ditescendi spes, & aliena occupandi desiderium faces
addiderunt. Nam provinciæ *infidelium* quæ erant
extra Livoniam, in belli pretium cessuræ offereban-
tur: intra Livoniam hæc una muneris administrandi
lex erat, ut, quoties flagitaret necessitas, copias suas in-
campum deducerent, & pro re Christiana propugnarent:
de cetero ad præstanda Episcopo servitia non adstringe-
rentur. *Id quod ex monumentis illius seculi; actis i-*
storum temporum, & pactis utrinque conventis, & Inno-
centii III. epistolis colligi haud obscure potest. Ad hæc il-
la sacerdotum equestrium sodalitas, quæ ab aris ad ar-
ma arcessita est, non audebat sibi sumere jus institu-
endi Ordinis in regione aliena, & Episcopo quæsita, ni-
si Episcopus annueret, penes quem concedendi auctori-
tas fuit. Hinc Albertus II. attritis Equitum rebus, enixè
studuit, ut summa ejus Ordinis transferretur ad Magi-
strum & fratres sodalitates Teutonicæ, quorum auspi-
cio & ope vires reficere, & stare contra hostes possent.
Quod negotium etsi non statim confectum est, tamen
hujus Antistitis intercessio eò valuit, ut Ordinem ab Al-
berto I. conditum nollet opprimi, & apertè indicaret, eum
sibi potissimum curæ esse, quem & in vitæ consuetudinem,
& arctissimam foederis societatem recepisset. *V. Petrus*
Dusburgius Chron. Pruss. part. III. c. 28. Paulus Oderbor-
nus de vita Basilidis libro II, C. Schuz an. 1238.

VIII. Cum ex consensu & mutuo pacto Prussiae &
Livoniae Equites sese obligarent, Hermannus à Salza, à
gentili prædio cognomen hoc adeptus, cum dignitate Ma-
gistri generalis Ordinem Teutonicum in Prussia re-
gebat, qui Ann. MCCXXXVIII. Fratres Livonicos,
obsequium profectos, suo & successorum nomine tuen-

dos suscepit. Non habenti idoneos, sententiæ auctores, qui post Hermanni obitum, *Ensisferos* sodalitati Teutonice conjunctos putant, quos Prussici annales coarguunt, & tabulæ confirmationis Pontificiæ refellunt. Illud autem non ambiguis indiciis liquet, cæso à Lithuanis Volquino, Equites Livonicos coaluisse cum Prussicis, quod consilium pro rei necessitate susceptum atque confectum est: etsi Volquinus hanc gratiam ab Hermanno inire non potuit, magno quidem detrimento Ordinis, & funditus perituri, nisi propter rei Christianæ utilitatem petitioni tam æquissimæ locus tandem datus fuisset. Quæ res labentijam & fatiscenti Livonicorum militum Ordini opportuna accidit, & Gregorio IX. Pont. Rom. valde probata est, qui hoc ad dignitatem suam pertinere crederet, ut equites Livonici, hoc præsidio tuti essent, & in fide ac clientela Teutonicorum Prussiæ permanerent. Quare eam conjunctionem auctoritate sua firmavit, quod hæc corrigendæ illorum fortunæ ratio expeditissima videretur. Occurrebant animo superiores clades, & foedi eventus præliorum cum barbaris commissorum, jamque infesta Valdemari Danorum Regis consilia in perniciem Livonicorum militum eruptura timebantur, quum stabili decreto opus erat, ut perpetuâ *conjunctione* adaugerentur vires utriusque Ordinis, quod causa belli communis, & labor periculumq; par esset. *Petrus Dusburgius* memorat *Dominum Papam*, confecti negotii autorem, qui non fuit alius, quàm Gregorius IX. ejusdem ætatis Pontifex, & in publicis tabulis, in quibus Ordinis privilegia sanciantur, nominatus. *Conf. Venator lib. 1. cap. 2. p. 26. Jo. Is. Pontanus* cetera accuratus elegansque scriptor, nimis studet Valdemari II. partibus, quippe *Vetfeldimu* nationis suæ studiosissimum secutus, & Livonicos
Equi-

Equites non rectè Templarios vocat, neque in designatione temporum congruit, *hist. lib. VI. an. MCCXXXIV. C. Schuz in Chr. ad h. an.* commodè intelligendus est, quùm hortatu Volquini conjunctionem factam scribit, quippe quæ ab eo quidem vehementer expetita, sed non impetrata, & aliquanto post ipsius mortem ad exitum perducta est, prout Dusburgius confirmat. *Conf. Matthæus Dresserus Isag. Hist. millen. VI. p. 293. Chronicon Ordinis Cruciferorum in Hermanno à Salza. Chytraeus in supputatione annorum discrepat, & annum MCCXXXIV. hac memorabili conjunctione insignitum cupit. Job. Baptistæ Ricciolius in hoc argumento sibi non constat, & res rationesq; conturbat. Chronol. Ref. tom. III. p. 93.* Aliqui hic confundunt approbationem Ordinis in Livoniâ cœpti, & confirmationem conjunctionis Equitum Livonicorum ac Teutonicorum: quarum altera ab Innocentio III. facta est, altera ad Gregoriũ IX. spectat. Implicatæ hic quorundam rationes sunt, quas nihilo explicatiores reddidit *Christophorus Hartknochius in Chron. Pruss. part. III. cap. II. p. 279.* Ubi si pro Innocentio III. dixisset Honorium III. propius à vero dixisset. Anno *MCCXVI.* Innocentius III. vivere desiit, *apud Nauclerum vol. III. gen. XLI. b. an.* Huic successit Honorius III. qui annum *MCCXXVI.* supremum habuit, surrogato in ejus locum Gregorio IX. *ut est apud eundem b. an.* Qui omni studio operaque contendit, ut sacræ expeditiones susciperentur, & Ordini Equitum enses ferentium, remedio necessitate expresso, consuleretur. Hinc sequentia monumentis commendavit *Nauclerus Vol. III. gen. XLII.* *Erant per id tempus in Livonia fratres religiosi, vulgò dicti, de Gladio. Hi præter crucem habebant in vestibus gladios affixos, militabantque pro fidei defensione contra paganos. Et quia*

videbant negotium Ordinis B. Mariae Indies prosperari, habitis hinc inde tractatibus, per Rom. Pontificem voluntariè se passi sunt Teutonicorum religioni uniri. Hucusque Naucerus, qui constituit signatque annum conjunctionis 1239: quo Pontificatum Gregorius IX. Imperium Occidentis Fridericus II. Orientis Balduinus II. tenebat.

IX. Eodem tempore honestis utrinque conditionibus approbatum est, ut Riga deinceps omnium Prussiae sacerdotiorum caput esset, & ab omnibus Prussiae Antistitibus summo honore & veneratione metropolis agnosceretur. Quod rebus utrinque sine odio & invidia constituendis perutile, atque ab aequitate haud alienum est visum, ut quemadmodum Livonici equites in fide & clientela Ordinis Mariani se futuros magno Magistro fidem dedissent, sic Antistites Prussici deinde Archiepiscopo Rigensi obnoxii censerentur, emulationumque occasiones inter utramque nationem apto salubris temperamenti instituto praeciderentur. Statim ut haec acta sunt, Gregorius IX. commodi & dignitatis suae causa, officio non defuit, & omnia, de quibus ultrò citroque convenerat, rata habuit, atque adeò Albertum hujus nominis II. in serie Rigensium Antistitum V. primum autem inter omnes Archiepiscopum ritu solenni inaugurandum curavit. Pontano igitur non fuit causa, cur dubitaret secundusne, an quintus appellari mereatur, in libro supra adducto an MCC XXXIV. Sed neque hoc meliùs affirmat, Episcopos Livoniae Revaliensem, Torpatensem seu Derpatensem, Oefiliensem, Curonicum, sive Curlandicum ad metropolin Archiepiscopi Lundensis in Scania fuisse relatos. Hi enim perinde ac Episcopi Prussiae Culmensis, Sambiensis, Pomesaniensis & Varmiensis,

ex decreto Pontificis, ad metropolin Rigensem pertinebant: Varmiensis postea exemptus, neminem præterquam Pontificem Rom. admisit, sed rebus in Livonia mutatis, non repugnante sede Romana, metropolin Gnesnensem agnovit. Frustra *Zeillerus* Habsaliæ Episcopum annumerat, eumque ab Episcopo Oesiliensi distinguit, sui oblitus, cum ignorare non posset, Habsaliam Episcoporum Oesiliensium extitisse sedem, *in Livonia nova descriptione p. 229. collat. p. 266.* Tum verò hujus rei ratio habenda fuit Paulo Oderbornio, nimis audacter pronuncianti, Rigam semper fuisse metropolin. *Riga, inquit, Archipræsulem semper habuit, in libro II. supra laudato.* Nam quatuor certè Præsules Riga ab initio originis suæ habuit, Meinhardum, Bertholdum, Albertum & Nicolaum: Archipræsulum dignitatem ibi auspicatus est Albertus II. In quo annales ecclesiastici illius gentis cum externis scriptoribus, Martino Cromero, Arnaldo *Verfeldio*, Davide Chytræo, Jo. II. Pontano, Caspare Bruschio, consentiunt, & summam legi atque conferri possunt Balthasar Russovius, & Aubertus Miræus, ille *in Chronico gentis suæ Germanico*, hic *in notitia Episcopatum*, & *libro de Orig. Ord. equestr.* ubi tamen plerumque in nominum & rerum designatione hæsitavit. Alioquin de Archiepiscopo Scaniæ fatendum est, ejus auctoritatem & jurisdictionem *ecclesiasticam* in Septentrione olim latissime patuisse, atque ex edicto Hadriani IV. Pontif. *primatum* regni Sueogothici tenuisse, & hujus auctoritate muneris ecclesias ibidem procurasse, & Esthoniæ, regno Sueonum tunc conjunctæ, Episcopos imposuisse, ut intelligitur ex *Petri Cellensis ep. XV. lib. VI.* Quare sic tandem Esthonia Polonis invasoribus erepta, & pace Olivenfi cessa, destitit ad Suedos, *quorsum spectat ss. IV. pacis IX, Po-*
Olivenfis.

IX. Postea Livonici Equites, redintegratis *conjun-*
*cti*one viribus, majori in finitimos odio exarserunt, Danis-
que pactione placatis, ductu Hermanni Valki Magistri
Rusis Plescoviam eripuerunt: hinc cum ingenti exerci-
tu ad Curonos subigendos processerunt, ac Lithuanis ju-
stâ acie profligatis, cœpto bellandi adeò non destiterunt,
ut quoque Semigalliam peterent, ac ditioni suæ subjice-
rent, & rebus secundis elati, cladem sibi ac prope Ordini
suo interitum afferrent. Nec mirum est, expeditiones
cas non esse prosperas, quæ justa ex causa non suscipiun-
tur, quamvis fortuna ad tempus indulgeat, & ambitioni
blandiatur. Nam & ante fatalem conversionem præferoces
Samogitas, quorû impetus frangi non poterat, domuerunt,
& finium controversias cum Lithuanis ferro & armis
transegerunt, & belli Polonici molem fortiter sustinue-
runt, donec suis tantum viribus, nondum conjunctâ Li-
thuaniam, militaret. Russos è sylvis & solitudinibus egredi
ausos, in ipso belli conatu represserunt, cum nondum
Scythis in Asiam porrectis imperarent, quorum regna
Basilides oppressit, & Casani atque Astrachani accessio-
ne auctus, potentiam Livonicæ sodalitati terribilem con-
flavit. Priusquam verò ab externis hostibus infestati &
attriti sunt, armis in viscera versis, ignari instantium,
haud obscura signa exitii dederunt. Etenim prosperis
rebus, bellorumque successibus inflati, contra promisso-
rum pactorumque fidem, multa insolenter fecerunt, &
omnem Archiepiscopi Rigensis potestatem sibi sumere,
jusq; & dignitatem Livoniæ Principis, quæ ad eum specta-
bat, sibi tribuere, & arces possessionesque invadere, &
trahere ac transferre opes, & quovis modo incepta perficere
decreverunt. Inter hos *Joannes Osthoffius à Men-*
geden, Magister Livonorum Equitum, irâ & ambitione
in-

incitatus, copias eduxit, & Sylvestrum Rigæ Archiepiscopum adortus est, nec cupiditati suæ modum statuit, & pacem foedusque rupit, eo maximè rerum statu, quo Teutonici Equites bello Polonico distracti, de summa rerum periclitabantur. Quibus rebus evenit, ut neutri suam dignitatem tueri possent, nec meliore loco essent res Prussorum, quos præter alia temporum mala, tunc summa difficultas numaria premebat, adeò ut conducti milites ob stipendia non persoluta turbarent, & plerasque Prussiæ urbes pignoris nomine Polonis obligarent, quas Casimirus Rex repetenti Magistro generali nequiquam reddidit, & quomodo reliquâ Prussiâ potiretur, cogitavit. *Vid. præter Russovium Cbytraeus p. 20. d. 1. Venator lib. II. cap. 8.* Sed hos aliosque superiorum Livoniæ Magistrorum errores correxit Valterus Plettenbergius, cujus prudentia omnium monumentis celebratur, & fortitudo notior testatiorque est, quàm ut hoc loco à me describatur. Qui simulatque ad provincialis Magistrû dignitatem pervenit, nihil antiquius habuit, quàm ut intestina Livoniæ dissidia componerentur. Id consilium ei bene cecidit, postquam Rigenses cum Ordine in gratiam redierunt, & metu communis periculi, quod à Russis imminebat, auxilii atque officiorum societate denuò se junxerunt. Quare Russos in Livoniam progressos repulit, exercitumque eorum fudit, nec multò post prælio apud Plescoviam commisso, magnam hostium stragem edidit, & Russorum Scytharumque circiter centena milia delevit, reliqui fugâ dilapsi, vel audito Germanorum nomine, cohorrerunt. Hinc Russi quinquaginta annorû inducias petere coacti, Livoniam populari deserunt, nec sine perturbatione cladis proximæ recordati, victores Germanos *viros ferreos* appellârunt. *Alexander Gvagninus in Sarmatia Europæa, & speciatim in Livonia descriptione.* Hic est Plettenbergius, quem Carolus V. in Prin-

Principum Imperii numerum ascripsit, quo Magistri provinciam tuente, equitum Livonicorum res maximè flourerunt.

XI. Cum Valtero Plettenbergio, Ordinis hujus felicitas extincta est, propterea quod sequentes Magistri sublatâ æquitate, & neglecto concordiaë studio, per malas dominandi artes ad opprimendum Rigæ Archiepiscopum, & occupandum totius Livoniaë imperium connitebantur. Grave hoc in primis videbatur Archiepiscopo Guilielmo, summæ familiaë Principi, magnisque necessitudinibus innixo, & Regis Poloniaë Sigismundi ex sorore nepoti, haud passuro eripi libertatem. Quam cum suis viribus tueri non posset, cum Rege Poloniaë de patrocini ac defensione actum est, quod Equites, potentiâ suâ fretos, ab incepto non retraxit. Movetur bellum, & in arce Kokenhusana obsidetur Archiepiscopus, nec multo post ad deditiõem compulsus, in custodiam datur, ac integro anni spatio ibi detinetur. Post hæc Sigismundus Augustus rei indignitate permotus, misit legatum cum plenis mandatis, qui Magistrum ad liberandum e vinculis Marchionem exhortaretur. Sed ille suo & Ordinis malo pertinax, exorari non potuit, ratus eam Præfulis captivitatem per sibi esse opportunam, quâ viam munisset ad opprimendum Archiepiscopum, maximè Ordini suo metuendum. Erat is quidem multas ob res invisus, in primis autem hanc ob causam, quod suo arbitratu quædam contra instituta & leges fecisset, neque expectato Procerum ecclesiasticorum consensu, *Adjutorem* sibi Christophorum Ducem Megapolitanum constituisset, & cum Rege jam diu Livoniaë inhiante, atque cum agnato Alberto, ab Imperii societate averso, ad extirpandos Ordinis sui Equites conspirasset, quippe quod, literis interceptis, palam esset. Archiepiscopus inficiatione facti se defendebat, jure suo non cessurus, quod non duibi-

ta-

taret, Regi se esse curæ, cujus amicitia & necessitudo spem liberationis faciebant. Multum verò in Magistri, Guilielmi Furstenbergii, moderatione desideratum est, qui legato rebus infectis dimisso, Regem pro Nepote sollicitum, hac repulsâ vehementer commovit, ut eas Magistri injurias haud negligeret, bellumque ex Scto Procerum decerneret, stimulante eum Casparo Munstero, qui Magistrum sibi in eo munere prælatum, spreti pacis consilii poenam dare cupiebat. Quare ut Furstenbergius totum belli Polonici impetum exciperet, necesse erat, nisi eum mox consilii poenitisset. Rex etsi ad expeditionem paratus, tamen vicit animum, iramque cohibuit, & placari se passus est, siquidem conditiones de restituendo Archiepiscopo, & sarcieendis damnis impleret. Non obniti ausus Magister, omnia facturum se recipit, & Archiepiscopo custodiâ liberato, Regem adit, & dicta promissaque præstat. *Alex. Guagninus in descriptione Livonica, Tilemannus Bredenbachius in historia belli Livonici p. 226. seq.*

XI. Postea è vita excessit Archiepiscopus Rigenfis, quando Sigismundus Livoniam defensionis suæ imparem conspicatus flagitavit, ut sacramentum sibi diceret, fidemque obsequii religione obligaret. Christophorus Mecklenburgius, quem *Adjutorem* Guilielmus sibi asciverat, foedere & amicitia Erici Sveonum Regis confirmatus, totam Archiepiscopi regionem sibi vindicabat, sed in initio & conatu resistendi captus, atque in Poloniam abductus, plus quinque annis in custodia permansit. Cetera Livonia, quæ Ordini parebat, captivitate Magistri Furstenbergii, cujus liberandi gratia Ferdinandus Cæsar, & Magnus Teutonici Ordinis Magister Wolffgangus, dimisere Legatos in Russiam, qui post multas negotiorum itinerumq; molestias, spe frustrati in Germaniâ redierunt. Furstenbergius, in quem Russorum Imperator culpam

AK
Tn
6386

belli contulit, diu in vinculis habitus, & in ea calamitate mortuus est, cum totus ille tractus, quâ in Ordinis fines descriptus erat, magno in metu periculoque versaretur. Ita potiundæ Liyonæ occasionem nactus Rex, amplas & opulentas, ac sanguinis Germanici impendio partas regiones, ab Imperio Germanorum, sine Imperatoris & Principum assensu sejunxit, terrasque antea Archiepiscopo, & Magistro obnoxias, in ditionem Polonicam redegit, atque in Lettia & Livonia *ducatum* instituit, ac regno Poloniae conjunxit: Curlandiam & Semigalliam Gotthardo Kettlero, quem Furstenbergius *Adjutorem* sibi sumserat, titulo & dignitate Ducis, lege beneficiariâ tenendas, MDLXI. attribuit atque concessit. V. Salomon Neugebauer *hist. Polon. lib. VIII. Chytraeus in Saxonia p. 21.* Revalia, murus & propugnaculum contra Russos, Erico Sveonum Regi se permisit, & Magistro Livoniae obsequium renunciavit, quam tota deinceps Esthonia secuta est, & imperio ditionique Regis se subjecit. Priusquam hoc fieret, Carolus V. ut pacta Gandavensia docent, patrocinium tutelamque hujus provinciae Regi Suediae obtulit, propterea quod Russi cum infestis signis in Harriam moverant, & omnia crudeliter diriperant, Revaliam occupaturi, nisi Revaliensis populus, accepto praesidio, contra vim impetumque hostium se firmasset. Hæc Joannis Basilidis irruptio contigit anno MDLV. quo terror & desperatio plurimorum animos incessebat, cum immanitatis Russicæ nullus finis modusque esset, & rapinæ, caedes, vastitasque & solitudo passim conspicerentur. Igitur vel deditioe paciscenda servitus Russica, vel patrocinium praesidiumque Svedicum certè admittendum erat. Cæsar, præter alias rerum temporumque difficultates, magno locorum intervallo disjunctus, opem ferre non poterat, neque alia liberandi ratio occurrebat, quàm ut in patrocini clientelaris fidem acciperetur. Qua de causa Ferdinandus I. & Maximil. II. non repugnarunt, quominus tota ea provincia sub tutela Svedica se defenderet, & sua atque Imperii jure servato, consuleret salutem suam, ac profligaret Russos qui jam plerasque urbes & tractus, in potestate sua habebant, & cupiebant, operamque dabant, ut Magnus Holsatiae Dux fiduciarium & clientelare regnum beneficio Joannis Basilii agnoscendum consequeretur. V. David Chytraeus *Chron. Sax. lib. XX. Simon Scharidius rerum Germanicarum t. IV. p. 140. Michael Caspar Lendorpius*

Act. publ. con t. lib. IX. c. 1.

1007 MC

B. M. II, 178.
L. 50, II.

OR

EN
pub

CON
SCH

AN

Ex offic

1932

II M
6386

E,

IM,

IELE

1685

ogr,

